





19.  
2753.  
**DISSE**  
**TATIO IVRIDICA**  
**DE**  
**DOMINO SERVIENTE**  
**AD PRAEDII**  
**SERVIENTIS REFECTIONEM OBLIGATO**

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN D V L T V  
P R A E S I D E  
**DNO. IOANNE TOBIA RICHTERO**  
PHILOSOPH. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL.  
ET COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO  
PRAECEPTORE OMNI PIETATIS CVLTV  
SVMMOPERE DEVENERANDO  
AD DIEM XIII. DECEMBER. A. C. N. MDCCCLIII.  
H. L. Q. C.  
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
A V C T O R  
**ERNESTVS FRIEDERICVS HAVSSLEVTNER**  
PLESSNA SILESIVS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DOMINI SERVIENTE  
AD PRAEDITI  
SERVIENTIS REGIONI ORTENSIO  
ILLUSTRIS CICEROVAM ORDINIS  
INDIVIDUA  
PRAESIDE  
DOMINI IOANNI TOBIA RICHTER  
PRAECPTORIS OMNIS LITERATIS CALTA  
SANCTOPABRO, PRAESENTELLA  
AD PLATATMUTHERENSMARA EN NICOCETIN  
PAEFCE AENTILIANMANPROTONTI  
AVCOTOR  
ERNSTAS LICHENRICAS HUASSTUTUNTUR  
AVCOTOR  
ITE SAILANTUUNTUR  
AVCOTOR

ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
IOANNI ERDMANNO  
S. R. I. COMITI  
A PROMNITZ  
LIBERO BARONI  
DYNASTIAE PLESSNENSIS IN SILESIA,  
IN SORAV, TRIBEL, ET NAVMBVRG  
DYNASTAE CLIENTELARVM, KLITSCHDORFF,  
DREHNA, VETZSCHAV, NEC NON IN PETERSWALDE,  
KREPPELHOF ET IANOWITZ ETC. ETC.  
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS  
NEC NON SERENISSIMI SAXONIAE  
ELECTORIS MILITVM EQVITATVS,  
TRIBVNUS

DOMINO MEO INDVLGENTISSIMO  
GRATIOSISSIMO QVE.

ILLUSTRISSIMO  
EXCELSISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI ERDAMANO  
SRL COMITI  
A PROMINT  
LIBERO BARONI  
DYNASTIE PRESERVATIS IN SILESI  
IN SORAU TRIPPE ET NAVASAO  
DYNASTIE CLIMENTIARVM KULTSCHEIDORF  
DUHNU ALTESCHWALDE NEC NON IN TETZWALDE  
KREUZLICH ET MONSTRIS TESTATE  
POTENTISSIMI SARUMATARVM REGENS  
NEC NON SERENISSIMI SEDONIAE  
ELFECTORIS MILITIA MOUTATAS  
TRIANTO

DOMINO MEO IN DILECTISSIMO  
GRATIOSISSIMO

ILLVSTRISSIMO  
DOMINO  
DOMINO SEYFRIEDO  
S. R. I. COMITI  
A PROMNITZ  
LIBERO BARONI

DYNASTIAE PLESSNENSIS IN SILESIA,  
IN SORAV, TRIBEL, ET NAVMBVRG  
DYNASTAE CLIENTELARVM, KLITSCHDORFF,  
DREHNA, VETZSCHAV, NEC NON IN PETERSWALDE,  
KREPPELHOF ET IANOWITZ ETC. ETC.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

ILLUSTRISSIMO  
DOMINO SEYRLEDO  
SRL COMITI

A PROMINTA  
LIBERO BARONI

DYNASTIAE PFESSENSIS IN SILESI  
IN SORVA TRIECE ET NAVAMAG  
DYNASTIE CEINTELVRAW, KUTTERGORT  
DREHNA, ALTSCHAU, NHC NON IN LESTERSWALDE  
KRISTROW ET LOMOWITS ETC ETC.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

EXCELLENTISSIME DOMINE  
ILLVSTRISSIMI COMITES  
GRATIOSISSIMI DOMINI

*Q* uod iam dudum et fere ab  
ineunte aetate in votis  
habui, vt *VOBIS*  
*COMITES ILLVSTRISSIMI*  
*DOMINI GRATIOSISSIMI*

\* 3                stu-

studiorum meorum rationem redderem, eorumque primitias consecrarem, id a me in praesenti fieri posse, primariis felicitatis meae partibus adscribo. Sed idem ad pietatis meae officia pertinere eo magis duco, quo maior mihi spes est, fore ut  
**VOS ILLVSTRISSIMI COMITES, DOMINI GRATIOSISSIMI, qui omnes, quos ad officia VOBIS patriaeque aliquando praestanda aptos censuistis, gratia VESTRA amplectimini, me non minus, quippe me totum VOBIS**

tra-

trado, incomparabili gratia, p<sup>rae</sup>-  
stantissimoque tutamine VESTRO  
dignum sitis habituri. Quae cum  
ita sint, ab omni temeritatis suspi-  
cione me liberatum esse, arbitror,  
quod hoc exiguum academicorum la-  
borum specimen VESTRIS NO-  
MINIBVS meque simul totum,  
VOBIS ILLVSTRIS-  
SIMI COMITES DOMI-  
N1 GRATIOSISSIMI, mea-  
que omnia consecrare ausus fuerim.  
In quo si satis ostendero aeternam  
in VOS ILLVSTRISSIMI  
CO-

*COMITES, animi mei pietatem esse atque religionem, ego me quae summa sunt omnia consecutum putabo, perseveraturus,*

**ILLVSTRISSIMORVM  
NOMINVM VESTRORVM**

Dab. Lipsiae  
die 11 Decembris  
A. C. N. MDCCCLIII.

DEVOTISSIMVS DEVINCTISSIMVS QVE  
ERNESTVS FRIDERICVS HAVSLEVTNER.



D. T. O. M. A.

§. I.

**A**d vnumquemque, qui optimus ipse rerum suarum *Seruitutes et iura in re* administrator est atque arbiter, etiam id pertinere, quod easdem res ut aliis seruant valide ob*ligare queat, nemo cui pectus sapit in dubium* *praedijs nostris imposta in faciendo confidere nequeunt.* *nequeunt.*

transferendi facultatem habet, cur non et seruitutes constituere possit, nulla subest ratio; et cui pro libitu vendere permisum, quod plus est, cur ei non potest id quod minus est licere? Certum quam quod certissimum est, seruitutes tanquam species alienationis ex parte tantum diminuere dominium; qui ergo de ipso toto dominio valide disponit, is de eo diminuendo, quod minus est, aequre recte agere poterit. Cum autem seruitutes res ipsas tantummodo afficiant, ex quibus utilitas in dominum vel rem dominante proficiscitur, indeque ius in re confiant, satis exploratum est, nullam seruitutem, quia factum rei seruientis cogitari nequit, posse in faciendo consistere.<sup>a)</sup> Verum id plane est, teste *ICto POMPONIO,* contra seruitutem naturam, qui asserit,<sup>b)</sup> *seruitutem non*

**A** *eandem*

<sup>a)</sup> Excellentiss. Praesidis Select. Iur. Princip. dissert. XII. pos. 1. et 2.

<sup>b)</sup> L. 15. §. 1. ff. de seruitut.

*Eandem esse naturam, ut aliquis faciat quid, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat.* Eandem fuit sententia GALVS cum dicit: <sup>c)</sup> *non posse ita seruitutem imponi ut quis facere aliquid cogeretur.* Quid ergo aliud ex his quam id quod affirmavimus elici potest? Nonne vbi prohibitio facti vel passio adest, ibi quoque omne factum, quod et rationi consentaneum est, reprobatum censetur? Sine dubio. Multis quidem haec nostra sententia Doctoribus, qui de seruitutibus in faciendo consistentibus passim disputant, maxime displicet, nostri autem est solatii quod a nobis ea tanquam genuina atque analogiae iuris propria rite defendi possit. Et ut vnum qui dissentientium tuerit partes allegemus, *Consultiss.* IO. GOTTOB KLINGNERVM nominare licet, qui in libro suo quem sub rubro, *Samlung zum Dorf- und Bauern-Recht* edidit, contendere non ambigit, seruitutes omnino in faciendo consistere posse. Verba eius haec sunt. <sup>d)</sup> Wannenhero von denjenigen Rechts-Gelehrten welche nicht im Wort streiten oder unmässiger Verehrung der Römischen Gesetze eine besondere Geschicklichkeit und Vorzug suchen, sondern ihre Wissenschaft, auf die gründliche Beschaffenheit der Sachen und den Landes-Gebrauch anwenden, um destoweniger geläugnet werden dürfte, daß es auch denen Gütern ankliebende und von einen Besitzer auf den andern kommende so genannte dingliche Dienstbarkeiten gäbe welche in Thun bestehen, da sie überzeuget seyn müssen, daß deren mehreste Arten aus Verträgen herrühren, und durch solche bestätigt werden. Vix autem ac ne vix quidem ex his dictis, quod hodierna praxis germanica quoad operas rusticas, intuitu praediorum suorum, domino praefandas, ad quosvis possessores transeuntes, quae praefatio in faciendo consistit reclamat, ipsius stabiliri potest sententia. Non enim fluit: quidquid intuitu rei cuiusdam a possessore debetur,

c) L. 6. §. 2. ff. Si seruit. vindic.

d) KLINGNERI Samlung zum Dorf- und Bauern-Rechte. Tom. II. pag. 110. §. 14.

tur; illad ipsam rem afficit, et ex reali obligatione praestandum venit; alias quilibet emphyteuta dum laudemium pro inuestitura, aut annuum canonem praefat, ex domini iure in re teneretur, quod tamen a vero prorsus est alienum. Deinde et in Germania seruitutes tanquam species iuris in re superesse, quotidiana docet experientia, illaeque ut neminem fugit, nunquam ex sola transactione oriuntur. Denique non solum verbis inhaerendum sed rei indoles indaganda est; quod enim operaे rusticae in Germania seruitutes Dienstbarkeiten appellantur, hoc ex singulari vocis significatu venit, quo non raro et personales praestationes indicantur, ideo tamen ex iis non statim realis, qua res afficitur, sit obligatio. Summa rei haec est, quod seruitutes tanquam species iuris in re nec in Germania in faciendo consistant, quia rei factum cogitari nequit; aliae vero praestationes personales, Dienstbarkeiten dictae, in faciendo consistere possint, quia Germani suas res omnes ad Romanorum mensuram dirigere nulla lege obstrin-guntur. Quae cum ita sint, hac in re tutius *ICTUM GEORGIVM BEYERVM* tanquam optimum verborum suorum interpretem sequendum esse arbitramur, qui luculentissime demonstrat, id quod ex natura rei adparet, <sup>e)</sup> non viuis eiusdemque esse naturae operas rusticæ et seruitutes reales. Neque *HUBERVUS* præclarus ille *ICTUS* a nobis alienus est. Is enim, <sup>f)</sup> si quis, inquit, seruitutem cuius præcipuum onus in faciendo constat, acquisuerit, dicendum est, eam non esse seruitutem. Quid igitur? Nullumne habebit effectum eiusmodi conuentio? habebit; erit contraclusus, ac ita valebit cum hoc effectu, vt actio detur aduersus promittentem et eius haeredem, non aduersus tertium sicut e seruitute datur. Intellico, pergit, id argutum nimis atque ab vsu alienum quibusdam videri; sed mihi aliisque non videtur haec esse inanis subtilitas,

A 2

<sup>e)</sup> BEVERI Delineat. Iur. Clu. secundum Inst. Lib. II. Tit. 3. posit. 8. n. h.  
<sup>f)</sup> HUBERI Praelectiones Iur. Clu. ad Pand. de seruit. num. 5.

tas, verum exacta proprietatis rerum obseruatio: siquidem rō facere manifeste qualitas vel potius actio personalis est, qualis in rem quam debere seruitutem vidimus, nequaquam conuenire potest; ideoque huiusmodi conuento seruitutem nullo modo producere potest, nec eius rei soliditas ab vsu hodierno est aliena. Prudentissime itaque distinguit inter seruitutis naturam, et pactum ad faciendum, quo quis promittere possit, ut simul quid faciat, qui seruitutem alteri constituit.

## §. II.

*Omnis seruitus ius quod-dam tribuit dominanti, se-cuti obligat seruientem.*

Posita vero seruitute duo potissimum, quae in ea consideranda notatu digna sunt, ius scilicet et obligatio occurunt. Ius redundat in dominum dominantem, quod in seruitutibus tam personalibus quam realibus exercere potest. In seruitutibus personalibus certissima est res, nam V L P I A N O teste,<sup>a)</sup> *vusufructu legato omnis fructus rei ad fructuarium per-tinet: et quidquid inde percipi potest ipsius fructus est.* Et quod vsuarius re ad necessaria vitae subsidia vtendi, habitator autem emolumenta ex habitatione percipiendi ius habeat, longa quadam non indiget demonstratione. In praedialibus dominans non minus ex seruitute percipit utilitatem, quandoquidem<sup>b)</sup> nulla est seruitus, quae non utilitatis causa est constituta. Vtitur ad haec omnibus mediis quibus ea percipi potest,<sup>c)</sup> ita videlicet, ambulat, vehitur, aedificat, destruit, tignum imittit, et quae sunt alia. Sic etiam<sup>d)</sup> quemlibet turbatorem ut a turbatione dessistat ius cogendi habet. Haec sunt potiora iura, quae a domino dominante respectu seruitutis sibi constitutae exerceri solent. Nunc quoque illis breuiter commemoratis, nostrum erit, ut obligationem quea

<sup>a)</sup> L. 7. pr. ff. de usufr. et quemad. quis vrat. L. 9. pr. ff. eodem.

<sup>b)</sup> L. 8. pr. L. 15. pr. ff. de seruitut.

<sup>c)</sup> L. 10. ff. de seruit. arg. leg. 2. ff. de iurisd. L. 20. §. 1. de seruit. Praed. Vrb.

<sup>d)</sup> L. 9. C. de seruit. §. 2. Inst. de Act.

dominum seruientem respicit paululum consideremus, atque in quo consistat ostendamus. Nec a nobis, vt eo rectius rem mentem nostram explicemus, distinctio inter seruitutes affirmatiwas et negatiwas omittenda est. In ambabus deprehenduntur obligationes in se et sua natura maxime diuersae. Alter enim in affirmatiuis, aliter in negatiuis dominus seruiens obligatur. In his <sup>e)</sup> nihil facere quod alias iure et libertate sua potuit, tenetur. In illis <sup>f)</sup> pati contra obstringitur, vt dominans iure suo, quod ipsi competit, pro arbitrio vtatur. In vtrisque tandem, <sup>g)</sup> quo minus vtilitas percipiatur, non impedit, sed potius media quibus res seruiens constat et subsistit, suppeditare debet; minimum non celare, aut retinere. Vides itaque quomodo seruiens dominus, vt dominans comodum quoddam ex re seruiente percipiat, pati, idque vel actu fieri permittere, vel eo nomine quidquam intermittere obligetur. Si quis igitur seruitutem aliquam rite pleneque contemplari velit, non sufficit rem seruientem, aut fortassis solam inde prouenientem vtilitatem considerasse, sed necessum est, vt qui de indole alicuius seruitutis vere instructus esse vult, insuper tam ius dominantis, quam obligationem seruientis perpendat.

## §. III.

Postquam igitur nullam seruitutem in faciendo consistere posse statuimus, atque tam ius dominantis, quam seruientis obligationem, secundum suam naturam examinauimus, iam quidem animus non est omnia haec latius pertractare, sed in vnica quaestione intuitu obligationis domini seruientis orta, ventilanda subsistendum esse constituimus. Illa vero qua-

A 3

e) BEYERI Delineat. Iur. Ciu. Secund. Inst. Lib. II. Tit. 3. post. 22.  
de seruit. FRANZKIVS, ad §. 1. Inst. de seruit. n. 2.

f) Idem BEYERV S ET FRANZKIVS loc. cit.

g) arg. Legis 20. ff. de seruitut.

*Proponitur  
Thema.*

fio hac in materia nobis proposita, praecipue pertractanda haec est: *num dominus seruens etiam ad fundi seruientis refectionem obligetur?* Ponamus enim seruitutem milii competere in aedibus alienis, veluti oneris ferendi, tigni immittendi, aut in fundo alieno, itineris, actus, aliamque, aedes vero ruinam minitantes, nec onus ferre, nec tignum recipere, aut in fundo cauernoso nec iri nec agi posse, verbo rem seruientem, ita comparatam esse, ut nisi reficiatur, utilitas debita inde percipi nequeat. Quis quaeso ad hanc refectionem, an dominans an vero seruens dominus erit obstrictus? Quia in re nobis quidem aliquis nonnullis non sine ratione placet sententia, qua dicto casu onus reficiendi seruienti domino incumbat. Sed quoniam res primo intuitu admodum videtur esse ambigua, atque hac ex causa multi Icti in negotiis abeundi sententiam occasionem arripuerunt; hinc nos quoque dignum esse existimamus in eruenda huius rei veritate singulari studio procedere, et ita caute agere, ut ne cuius honoris dissentientium quid decedat, neque quid praeter mentem tribuatur, neque veritatis derelinquatur vexillum.

## §. IV.

*Seruens fundum seruientem reficere tenetur, quia vult ut dominans ius quaestum exercet.* Ut itaque certum clarumque fiat, dominum seruientem eum fundum in quo alteri seruitutem concessit, reficere iure teneri, argumenta quibus suffulti illud statuimus proferenda sunt. Quorum ex numero primum hoc ponendum videtur, quod is qui in fundo suo alteri concessit seruitutem, etiam velit ut dominans ius quaestum suum exerceat. Idque in se verissimum esse arbitror; cur enim seruitutem constituit, nisi vellet, ut etiam alter iure suo vteretur? Quod si autem fiat, ut quis aliud animo cogitet, scilicet ut seruitutem constitutam, neque tamen ut dominans ius suum exerceat, velit, eueniet prosector, ut ille constituens, quod altera manu porrigit, altera rursus auferat, ita ut vere et in effectu nihil datum nihilque iuris alteri concessum intelligatur. Anne vero tibi

per-

persuades hoc inter eos qui paciscuntur iniicem aut contrahunt, quie de iure in re transferendo agunt, actum praesumi posse? Nequaquam; etenim eiusmodi negotium obligatorum serio peractum non potest non producere verum, tam iuris, quam obligationis, effectum. Ponamus itaque seruitutem constitutam esse, dominus seruens qui eam constituit procul dubio vult, ut coiuentam utilitatem dominus dominans quoque percipiat,<sup>a)</sup> ne aetus constitutionis instar invitis stipulationis qua partes nihil egerunt habeatur. Si hoc est, vti quidem nemo dubitare potest, seruens non minus rem seruientem, ut ea utilitas percipi queat, concedere tenetur, ne altera manu auferatur, quod altera datum est. At enim vero, nisi sarta testaque res seruens praestetur, id quod fieri debet, quodue partes intendisse conspicuntur, fieri nunquam potest. Nonne enim perinde est, siue quis nihil siue rem accipiat, qua vti plane nequit? Quomodo igitur quaeſo dominans percipere potest utilitatem ex re quae illam non exhibit? Sequitur inde ut seruens rem seruientem, si opus est, reficere obstringatur, ut euentum seruitus constituta habere, nec non utilitas debita inde percipi possit. Atque haec opinio legibus iurisque analogiae probe conuenit. Quemadmodum enim vendor, quoties res vendita vitiosa, vel nullius est utilitatis, vel ea speratam debitamque utilitatem non praefat, emtorem indemnum seruare ex aedilitio edicto tenetur,<sup>b)</sup> ideo, ne hic laedatur; Ita quoque ob eandem rationem dominus seruens in nostro caſu fundum seruientem reficere tenebitur, ne dominans in iure suo exercendo impediatur, eoque quid capiat detrimenti.

## §. V.

Sequitur aliud ad probandam noſram ſententiam argumentum a vulgato illo defumtu, quod ad finem obligatus quoque

a) L. 20. pr. ff. de seruit. praedior. rufſicor.

b) L. 1. §. 8. L. 43. §. 6. et L. 61. ff. de aedilit. edicto.

actio foibe personalis  
hanc ob racjau. debet  
er, qui foortatum  
ſibi populatos eſt,  
cqzq; hædib; ad  
ſus populatoreum cqzq;  
hædib; neutipos. b  
vero actio realis ad  
II. Ad finem realis ad  
obligatus ad uerbas for  
media conſe. traxi pos  
tur obſtriclus. feſorear.

8 *De domino seruiente ad praedii seruientis*

ad media suppeditanda censeatur obstrictus. Quod principium ad unum omnes DD. pro vero habent, quin imo habere tenentur. Res enim ipsa loquitur praesidiumque a sana ratione habet. Quod si enim substantiam obligationis, etiam ICto p a v l o definiente, consideremus, <sup>a)</sup> ea non in eo consistit ut aliquod corpus nostrum, aut seruitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid vel faciendum vel praefundum: patet exinde quod finis obligationis, in eo ut quid fiat, id est ut obligatus quid det, faciat aut praestet consistat. <sup>b)</sup> Nisi vero ab eo, qui ad finem obligatus, media suppeditanda essent, quid queso tota obligatio valeret? Nunquam eiusmodi obligatio exitum habere potest, et si dicendum quod res est, posito casu, quo obligatus media deneget, tota obligationis idea evanescit, et perinde est ac si ille quidem plane non sit obligatus. Ita ut exemplo rem illustremus, locatorem, qui rem locatam ipse invilem reddit, <sup>c)</sup> vel vbi opus est non reficit, <sup>d)</sup> vel vsus impedimenta non remouet, <sup>e)</sup> et quae sunt alia, facere his omnibus, ut re locata conductor secundum conductionis Leges vti non possit, adeoque ut obligatio illius corruat, quis est qui non intelligat. Sed cum inter locatorem et conductorem id actum esset, ut fieret de quo contraxerunt, cumque Leges eiusmodi negotiorum obligatorum nullum et inane esse nolint, <sup>f)</sup> locator certe ad finem obligatus, ut etiam media suppeditet, iure compelli poterit. Quod si iam nostram seruitutis caussam intueamur, et ex dictis principiis dijudicemus, dominus seruiens nihil habebit

<sup>a)</sup> L. 3. ff. de obligat. et actionib.<sup>b)</sup> STRAVCH. ad vniu. ius Iustin. priu. Dissert. XII. §. vlt. Ead. L. 3. ff. de oblig. et act.<sup>c)</sup> arg. L. I. §. 1. ff. de action. emt. vendit.<sup>d)</sup> L. 15. §. 1. ff. Locat. conduct.<sup>e)</sup> PETRVS Cossal. in Aduerter. ad Pandect. ad L. 15. §. 6. Locat. conduct. Addatur ipsa L. 15. ff. §. 6. eod.<sup>f)</sup> L. 21. ff. Locat. conduct. Et ex conducto actio conductori datur. L. 15 pr. §. 1. ff. locat. cond.

quo se a necessitate reficiendi fundum seruientem liberabit. Finis seruitutis, sicuti docuimus, in eo consistit, ut ex re seruiente dominans habeat utilitatem. Quod autem haec plane intercipiatur si res salua et usui accommodata a domino seruente, domino dominanti non exhibeat, res ipsa monstrat. Si itaque verum est, quod finis alicuius rei non nisi idoneis necessariis adhibitis mediis impetrari possit, indubitate inde concludere possimus, quod dominus seruens, qui seruitutis vult finem, alias enim seruitutem non constituisse, etiam obstrictus sit rem seruientem refectionem dominanti exhibere atque conseruare. <sup>a)</sup> Obstare nobis quidem videri posset, idem, quo usum, nostrum principium, *qui vult finem, ille etiam vult media*, unde nonnulli facile ita argumentarentur, ut dominans, qui utilitatem tanquam finem seruitutis percipere vult, ad media quoque suppeditanda adeoque ad refectionem rei seruientis teneatur. Attamen ut etiam et his satisficiamus, rogatos eos cupimus, ut inter media iuris exercendi quae dominans, et inter media obligationis explendae, quae seruens adhibet, nobiscum distinguant. Quod si facturi sint, non dubitamus, quin veram huius rei decisionem inueniant, nostrae sententiae calculum addituri.

## §. VI.

Sed praeter illa argumenta, maxime a natura rei et *facta ratione profecta*, Leges etiam nostram sententiam confirmant. Audiamus effatum ICti V L P I A N I, quo dominans aduersus seruientem actionem instituere potest atque cum cogere, <sup>b)</sup> ut et onera ferat et aedificia reficiat ad eum modum qui seruitute imposta comprehensus est. Liceat eidem S E R V I I sententiam, quae prae ceteris equaluit, annexere, qua <sup>b)</sup> ius sibi

*III. Arg. L. 6.  
§. 2. 5. 7. ff. si  
seruit: vindic.*

g) L. 20 ff. de seruit.

a) L. 6 §. 2. ff. si seruit vindic.

b) L. all. 6. §. 2. ff. eod. tit.

bi esse cogere aduersarium reficere parietem ad onera sua sustinenda, domino dominanti disertis verbis conceditur, ut eo magis apparere possit, non minus nostram sententiam euidentissima niti Legum probatione. Denique in eadem Lege, non modus tantum refectionis, qui actione confessoria postulari potest, exprimitur, sed etiam, quod parietem meliorrem quidem, non vero deteriorem facere liceat, statutur.<sup>c)</sup> Quae omnia abunde commonstrant, nostram opinionem Legibus esse conformem. Seruiens enim cogi potest ut aedificia reficiat, et quidem ad eum modum, qui seruitute imposita comprehensius est. Et quando dicitur, parietem seruientem non deteriorem facere licere, idem est, ac si dictum fuisset, seruientem reficere teneri, cum alioquin paries non possit non fieri deterior. Facile vero praeuidemus, dissentientes a nobis, proprio nostro gladio nos iugulaturos esse, et ex eadem laudata Lege probaturos, quod de vnica seruitutis specie veluti oneris ferendi agat, a qua minus recte ad ceteras seruitutum species fiat conclusio, quandoquidem, a specie ad speciem non valere argumentum, inter omnes constet. Sed quod ipsorum pace statuimus, id omnino ex benigna iuris interpretatione, hoc loco valituruim, ita, ut a reficiendi necessitate in oneris ferendi seruitute, seruienti incumbente, ad alias seruitutes argumentum duci queat, arbitramur. Ratio enim, cur seruiens rem onus alterius ferentem reficere teneatur, non specialis sed generalis, nec alia est quam haec, quod seruiens ad finem obligatus non possit non, ut media exhibeat, teneri.<sup>d)</sup> Quod autem generalis Legis ratio faciat, ut Lex ipso iure ad alios casus in Lege non expressos, modo eadem ratio locum habeat, sit extensa, me tacente neminem ICtorum fugit.<sup>e)</sup> Videamus autem, an non eadem et in aliis seruitutum

c) L. all. 6. §. 5. 7. ff. eod.

d) Dn. Praesid. Select. Iur. Princ. Dissert. XIII. pos. XL.

e) L. 12. 12. ff. de Legib.

tum speciebus ratio valere queat. Ego vero, quid impedimento sit, non video, cum quilibet, adeoque dominus seruiens non minus ad finem obligatus, etiam ad media obligetur, indeque, si opus est, ad refectionem fundi seruientis. Vnicum superest caput ex Lege a nobis citata explicandum. Ipsa Lex quam facilime contra nos adduci posset, cum **VLPIANO**<sup>f)</sup> referente, **GALLVS** putet, non posse ita seruitutem imponi, ut quis facere aliquid cogeretur, sed ne me facere prohiberet. Nam in omnibus seruitutibus refection ad eum pertinet, qui sibi seruitutem asserit, non ad eum, cuius res seruit. Verum enim vero totum hoc dubium iam sustulit Dn. Praeses,<sup>g)</sup> simulque optimam occasionem praebuit, latiore addendi explicationem. Videlicet verba **GALLI** hoc loco vim legis habere negatur. Nam totum contextum si quis intueatur, obseruabit, **VLPIANVM** plurim **ICtorum** opiniones diuersas referre, non eo animo, ut omnes habeant vim Legis, sed ut controuersia inter veteres **ICtos** agitata eo melius cognoscatur. Sed nec omisit **VLPIANVS** eam, quae pro decisione haberetur, sententiam; nam, *sed equaluit inquit, SERVII sententia.* Est vero haec **SERVII** sententia nostra quam haec enim defendimus; quare reiecta **GALLI** opinione, nostra res ex allegata Lege fit manifesta.

## §. VII.

Succedit nouum, quo idem **VLPIANVS** nostram sententiam corroborat, argumentum. Ait enim **ICtus**:<sup>a)</sup> *Sicut autem refection parietis ad vicinum pertinet, ita fultura aedificiorum vicini, cui seruitus debetur, quam diu paries reficietur, ad inferiorem vicinum non debet pertinere. Nam, si non vult superior fulcire, deponat: et restituet, cum paries fuerit restitutus. Et hic quoque, sicut in ceteris seruitutibus, actio contra-*

B 2

ria

f) alleg. L. 6. §. 2. ff. si seruit. vindicet.

g) Select. Iur. Princip. Disp. XIII. posit XI.

a) L. 8. pr. ff. Si seruit. vindicet.

*ria dabitur, hoc est, ius tibi non esse me cogere;* Quia in Lege tanquam certum et indubitatum supponitur, quod seruens dominus reficere rem seruientem teneatur; nam, refectionem parietis ad vicinum pertinere, aperte dicitur. *Quod autem vocabulo vicini significetur seruens, ex verborum nexu patet, quandoquidem is et inferior appellatur, eo respectu, quo fundum seu parietem possidet, in quo praedium dominans inaedificatum est, et vicino superiori cui seruitus debetur, contradistinguitur.* Et si vero haec Lex de vnica seruitutis specie veluti oneris ferendi agere videatur: tamen V L P I A N V M latius sensisse, non vero simile tantum, sed fere certum est, partim ob generalem rationem, cuius paulo ante mentionem fecimus, quod, qui finem vult, etiam media velit, partim, quod ipsa Lex ceteras ad seruitutes non minus prouocet. Ait enim ICtus: *Et hic quoque, sicut in ceteris seruitutibus actione contraria dabitur, hoc est ius tibi non esse me cogere.* His verbis, si recte sentio, nihil aliud indicatur, quam quod seruens dominus, quando rem seruientem reficit, rem dominantem interea fulcire, aut pro re nata sartam testamque seruare, non teneatur; et si dominans nihilo secus illud desideret, contra eum actionem instituere atque petere queat, ut declaretur, dominanti ius non esse, seruientem ut fulciat, aut alia eiusmodi generis faciat, cogere. Idque in ceteris seruitutibus locum habere affirmatur. Inde vero fluit, quod dominus seruens tantum ut fulciat cogi non possit; attamen ad refectionem iure sit obstrictus, ideo potissimum, quod initio Legis praecipiatur: refectionem parietis ad vicinum, id est seruientem dominum, pertinere.

### §. VIII.

V. Arg. L. 33.  
ff. de seruit.  
praed. verb.

Huc et pertinet, quod ICtus P A V L V S tanquam optimus nostrae sententiae defensor<sup>a)</sup> tradit: *Eum debere columnam*

a) L. 33. ff. de Seruit. praed. urbanor.

nam restituere, quae onus vicinarum aedium ferebat, cuius essent aedes quae seruirent: non eum qui imponere vellet. Nam cum in Lega aedium ita scriptum esset: *parties oneri ferundo ut nunc est ita sit, satis aperte significari, in perpetuum parietem esse debere*, non enim hoc bis verbis dici, ut in perpetuum idem *parties aeternus esset*, quod ne fieri quidem posset, sed ut eiusdem modi *parties in perpetuum esset qui onus sustineret*. Quemadmodum, si quis alicui causisset, ut seruitutem praebet, qui onus suum sustinere: si ea res quae seruit, et tuum onus ferret, perisset, alia in locum eius dari debet. Cauetur hac Lege, quod is qui seruitutem debet, rem seruientem quae plane perire, restituere teneatur. Vides itaque, certissimam Legis dispositionem qua dominus seruens reficere rem seruientem obstringitur, qua, et si refectionis non ipsis verbis fiat mentio, tamen inuictum eius rei argumentum suppeditatur. Nonne enim plus est restituere rem seruientem, quam reficere? Quemadmodum vero seruens Lege ad restitutionem tenetur, et praeterea is qui plus debet, minus non potest non debere; ita eundem dominum seruientem tanto magis oportet rem seruientem reficere, quanto certius est, reficiendi necessitatem sub restituendi necessitate contineri. Anne autem ex hoc textu ad alias seruitutes argumentari licebit? Evidenter nihil video quod impedimento esse, aut mouere scrupulum possit. Quinimo, quod p a v l v s allegato loco praeter seruitutem oneris ferendi, de aliis quoque senserit, inde nobis persuademus, quia generalis ratio Legis non tantum ad oneris ferendi, sed et tigni immittendi, aliasque seruitutes utique pertinet. Accedit quod in ipsa Lega dicatur verbis, in Lega aedium scriptis: *Parties oneri ferundo ut nunc est, ita sit, satis aperte significari, in perpetuum parietem esse debere*. Quae sententia in aliis quoque seruitutibus merito habebit locum, quoniam, ut verba Legis ultima docent, si ea res quae seruit, perisset, alia in eius locum dari debet, vbi quidem ICtus non

amplius de pariete onus ferente; sed generaliter de re seruiente loquitur. Ut omittam et V L P I A N V M ,<sup>b)</sup> et P O M P O N I V M <sup>c)</sup> testari, in Lege venditionis ita quoque scribi solere. *Flumina, stillicidia, vti nunc sunt, ita sint;* quibus verbis nouum assertur argumentum, quo certi esse possumus, effatum P A V L I non ad ynicam oneris ferendi seruitutem, sed ad alias quoque pertinere species. Primum enim in Legibus modo laudatis, fluminis et stillicidii seruitutes nominantur, quae exemplo sunt, quod reliquarum seruitutum indoli non repugnet, idem de iis, quod de oneris ferendi seruitute valet, obseruari. Deinde idem quod modo dixi, V L P I A N V S <sup>d)</sup> sponte satetur; pergit enim: *quae de stillicidio scripta sunt, etiam in ceteris seruitutibus accipienda sunt.* Denique cum, vt initio ex P A V L I sententia probauimus, verbis: *paries oneri serundo uti nunc est, ita sit,* satis aperte significetur, in perpetuum parietem esse debere; eadem verba in ceteris seruitutibus eundem procul dubio significatum habebunt, adcoque indicabunt, in perpetuum rem seruientem, veluti fossam per quam aqua collecta delabitur, esse debere, indeque dominum seruientem, ad eam rem sartam tectamque seruandam, iure obstringi.

*Contraria L.  
7. §. 2. seq.  
ff. de usufru-  
ctu explicata-  
tur.*

Ast dum assertionem nostram, *quod refectio fundi seruientis ad dominum rei pertineat, huc usque quoad fieri potuit, et satis ut arbitramur, explicauerimus atque probauerimus;* eo certe omnis difficultas rei nostrae nondum est superata. Supersunt enim Leges quae maxime nobis aduersantur, et quarum conciliatio iam a nobis fuscipienda est, ne, quod altera parte iure nostro affirmauimus, altera parte rurfus corruat, aut minimum incertum, vel ambiguum remaneat.

Est

b) L. 17. §. 3. ff. de Seru. praed. verb.

c) L. 33. ff. de contr. ent.

d) L. all. 17. §. 4. de Seru. praed. verb.

Est vero **VLPIANI**<sup>a)</sup> effatum, quod prium inter aduersantes Leges meretur locum; Ait enim **Ictus**: quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, (loquitur de usufructuario) reficere eum quoque aedes, per arbitrum cogi, **CELSUS** scribit. Idem<sup>b)</sup> paulo post refert: **CASSIVUM** scribere, fructuarium per arbitrum cogi reficere, quemadmodum afferere cogitur arbores, et **ARISTONEM** putare haec vera esse. Ex his qui a nobis dissentunt, sic argumentantur, ut quicunque a seruitute utilitatem habet, aut fructus percipit, is iure meritoque, expressa hac Legis dispositione, ad resectionem rei seruientis quoque teneatur. Illustrant hanc opinionem vulgata illa iuris regula, <sup>c)</sup> qua cuiusque rei incommoda sequi debent eum, quem commoda sequuntur. Supponunt denique, in omnibus seruitutibus, omnem etiam utilitatem ad dominante peruenire, indeque conclusionem, quod dominans ad resectionem rei seruientis obligetur, valere sibi persuadent. Nos vero, qui proximi veritati esse cupimus, non penitus alieni sumus ab illorum sententia, et facile hoc argumentum quoad usumfructum, adeoque certa ratione validum esse largimur, neutquam vero, quod ad alias seruitutes applicari possit, consentimus. Hoc enim negari nequit, quod usufructarius re fructaria tanquam bonus pater familias vti frui, <sup>d)</sup> adeoque rem tanquam suam sarcam tectam seruare, indeque reficere beat. <sup>e)</sup> Sed quod reliquarum seruitutum domini dominantes non in eadem sint conditione, et quod maxima inter hos et usufructarium sit diuersitas, exinde patet, quod praeter usumfructum nulla sit seruitus, ubi dominans ex re seruiente omnem utilitatem capit, verum domino seruienti tanquam proprietario, semper nonnihil usus remanere solet. Hinc

- a) L. 7. §. 2. ff. de usufr. et quem, quis vrat.  
 b) all. L. 7. §. 3. ff. de usufr. et quem, quis vrat.  
 c) arg. L. 10. ff. de R. I.  
 d) L. 9. §. 2. L. 65. ff. de usufr. et quem, quis vrat.  
 e) §. 38. Inst. de R. D.

quicquid de usufructuario hac in re statutum est, quod ad modicas expensas teneatur in usufructu, videlicet, ut aedes sartas tectas praestet, agrum proscindat, vites subserat, aquae ductus et fossas purget, fundi seminarium renouet, in locum arborum demortuarum alias substituat, et quae sunt alia, id quidem natura huius seruitutis postulat, attamen de iis quibus aliae seruitutes debentur valere nequit. Accedit, quod in usufructu, quem verum DD. appellant, hoc speciale sit, quod res ea Lege, ut semper salua maneat, et finito usufructu dominio proprietatis iterum restituvi possit, usui fructui permittatur, quippe quod in ceteris seruitutibus adeo absolute necessarium non deprehenditur; unde simul apparet, dominum dominantem quemlibet, non aequa ac usufructuarium, ad refectionem teneri posse. Superest, ut pauca, quae ad ratione aduersariorum pertinent, adhuc addamus. Nimirum ex modo dictis perspicitur, quod illud, quod dissentientes occasione sententiae V L P I A N I supra prolatae supponunt, veritati plane non respondeat. Siue enim habitationem, siue usum, siue oneris ferendi, aut tigni immittendi, aut stillicidii auertendi, aut aliam quamcunque seruitutem consideres, ex nulla tamen, modo usufructum excipias, utilitatem rei seruientis omnem ad dominum dominantem pertinere obseruabis. Qui ergo secus sentiunt, aperte principium petunt, ipsique faciunt, ut ea quae inde concludunt, firma stare non possint.

## §. X.

*Dubium ex L.* Aliud adhuc dubium oritur ex P A Y L I<sup>a)</sup> sententia, non  
20. §. 1. ff. de minus dignum, quod a nobis explicetur, atque remouetur.  
seruit praed- Etenim, si domo mea, inquit ICtus, altior area tua esset, tuque  
dior. urbanor. mibi per aream tuam in domum tuam ire agere cessisti, nec  
remouetur. ex piano aditus ad domum meam per aream cuam esset: vel

gradus

a) L. 20. §. 1. ff. de seruit. praed. urbanor.

gradus vel clios proprius ianiam meam iure facere possum,  
dum ne quid ultra, quam quod necesse est itineris causa de-  
moliar. Proponitur in hac Lege casus, quo dominus domi-  
nans cui seruitus itineris debetur, locum seruientem reficere,  
atque ut eo iure queat, ipse facere intendit, eumque id iure  
facere posse statuitur, dum ne quid ultra quam quod necesse est,  
itineris causa demoliat. Multi exinde filium argumentandi  
ducentes, nostram opinionem, qua omnem refectionem ad  
seruientem pertinere statuimus, infringentes contrariamque  
iheriorem commonstantes, ita philosophantur: Si dominus  
dominans rem seruientem iure reficere potest, consequens  
erit ut necessitas reficiendi domino seruienti non possit incum-  
bere. Videtur etiam haec ratio concludendi esse fundata,  
cum dominans ex Lege allegata, iure reficiendi omnino gau-  
deat, ius vero et obligatio, sicuti plerique sentiunt, sint corre-  
lata, sic ut alterum sine altero esse nequidem possit. Sed re  
paullo penitus considerata, illam argumentationem plane non  
procedere, vnuquisque quam facillime intelliget. Evidem  
sponte largior, quod ex adducta Lege dominans fundum ser-  
uientem reficere queat: anne autem quaeo, ab eo quod  
quis facere potest, ad id quod idem debeat facere, valeat con-  
clusio? Ego id neminem salua juris analogia, quinimo ne  
salua quidem conscientia, affirmare posse mihi persuadeo. Pot-  
est quilibet fauori pro se introducto atque iuri suo renuncia-  
re: an ideo renunciare debeat? Quilibet, cui iure contrahere  
permisum est, aes alienum contrahere potest: an ideo etiam  
ad contrahendum illud teneatur? Dicam plus: adulterium  
committere, furari, aliaque delicta perpetrare quis potest:  
an ideo debeat? Tantum abest, ut eiusmodi philosophiam  
Legibus atque sanae rationi conuenientem habeamus, ut  
potius eam nimis ridiculam et ab omni veritate prorsus alienam  
esse credamus. Quibus perpensis, quid senserit lauda-

C tus

tus ICtus P A V L V S, clarum fit ac manifestum. Scilicet haud incongrue inter posse et debere distinxit, et cum alias subtili semper animo rem suam proposuerit, hoc loco non minus probe perspexit, quod ad faciendum is quidem iure non teneatur, cui iure aliquid facere conceditur. Si quis igitur ita philosophatur, atque cum ipso P A V L O distinguit, nunquam nos habebit dissentientes, cum eadem nobiscum alat sententiam. Nec obest, quod statuunt plerique, ius et obligationem esse correlata; nam verum id quidem est, vbi quis obligatus est, quo casu obligatio nequidem exitum habere aut impleri potest, nisi obligatus iure gaudeat illud faciendi aut praestandi quod alteri debet. At enim, vbi quis ius habet faciendi, quicquam aut poscendi, ibi nunquam illud vulgatum: ius et obligatio sunt correlata, valebit, quia quod quis potest, ideo non statim facere debet.

## §. XI.

Vera meni L.  
11. pr. ff. com-  
mun. praed.  
exponitur.

Neque praetermittendum est, quod P O M P O N I V S scribit, quodque aduersarii nostri contra nos allegant. Sunt autem ICtri verba haec: <sup>a)</sup> Refectionis gratia, accedendi ad ea loca, quae non seruant, facultas tributa est his, quibus seruitus debetur: qua tamen accedere eis sit necesse; nisi in cessione seruitur nominativi praefinitum sit, qua accederetur. Ponitur hac Lege quod dominus dominans rei seruentis refectionem suscipiat, eique dum hoc facit, accedendi ad ea loca, quae non seruant, facultas tribuitur, modo accedere ad haec loca sit necesse, nec in constitutione seruitutis nominativum praefinitum sit, quo loco praecipue ad rem seruentem refectionis causa perueniri debeat. Ex quibus, ut quidam arbitrantur, facile contra nos colligi possit, dominantem dominum ad refectionem fundi seruentis teneri. Cum enim

a) L. 11. ff. Commun. praedior.

ei reficien<sup>t</sup>i plane ius quoddam tribuatur, veluti accedendi tunc ad ea loca quae non seruiunt, forte ut eo facilior refectione procedat; obligatio dominantis ad refectionem inde certissima videtur, quandoquidem alias dominans iure quodam eo nomine vix ac ne vix quidem fuisse munitus. Sed vera mens Legis haec est, quod dominus dominans, qui reficere vult, non impediri, verum id ei potius concedi debat, sine quo refectione fieri facile nequit. Hinc est, quod eidem refectionis causa, accedendi ad ea loca, quae non seruiunt, tribuatur facultas. Quis autem quaeso inde concludere audeat, quod idem dominans fundum seruientem ex iuris necessitate reficere obstringatur. Huius certe opinionis ne verbum quidem, multo minus verum aliquod aut firmum fundamentum in Lege deprehenditur. Ea vero quae in Legibus permittuntur, cum iis quae praeципiuntur, non possunt confundi, adeoque id, quod quis facere potest, non statim etiam fieri debet. Iis igitur qui ex adducta Lege contra nos insurgunt, statuentes, eum cui seruitus debetur, ad rei seruientis refectionem teneri, quam facillime responderi potest. Nimirum, quod possit reficere si velit, largimur: quod autem teneatur si nolit, et quod intuitus compelli possit, constatissime negamus. Qui vero contrariam sententiam tuerintur, illi habebunt, quod eam ex Lege probent, quae tamen proportionem aeventum habitura sit felicem, ipsi sentiant probaturi.

## §. XII.

Atque haec sunt, quae pro instituti ratione et virium modulo, de Domino seruiente ad refectionem fundi seruientis obligato, meditati sumus. Plura quidem eaque exactiora solidioraque hac de materia dici potuisse et adhuc posse non inficiamur; verum ea prolixius prosequi huicque specimini annexere, tum ingenii tenuitas prohibuit, tum ipsum propo-

situm nostrum ac institutum, et ne huius limites excederentur, fecit. Praeterea theses quasdam tantum, non integrum tractatum conscribere animus fuit. Tu igitur Lector beneuole, si forte non subtiliorem limam et penicillum me adhibuisse, aut in ipsa dissertatione, quaedam a me omissa, vel non satis apte methodo que conuenienti dicta inuenieris, ingenii mei modulo atque imbecillitati humanae, quae naturaliter inest, ad scribas, et scias, diuinitatis magis quam mortalitatis esse, omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare teste ipso Imperatore IVSTINIANO.<sup>a)</sup> Quod si errasse hinc inde quibusdam videor, cogitent, homines nos et ad hallucinandum pronus, atque eo me genere lapsum esse, in quo non paucis iisque magnis doctrina viris errare contigit.

Tibi vero sumnum atque aeternum numen, pro gratia, quam vti alias abunde, ita et in elaborando hoc specimen in me immerentem contulisti, gratias decentissimas ago, Teque supplex adoro, velis et in posterum omnes actiones meas ita dirigere, vt gloria sanctissimi nominis tui, et proximi commodum illarum sit unicus

### F I N I S.

a) L. 2. §. 14. C. de veter. iur. encl.



CLARISSIMO Q[UA]DQ[UE] DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI  
S. P. D.  
P R A E S E S.

**R**em quidem gratam atque iucundam mihi  
fecisti, quod, cum eruditionis Tuae pu-  
blicum specimen edere constitueres, meum prae-  
sidium poposceris; diffiteri tamen non possum,  
quod argumentum non adeo planum, sed ar-  
duum nimis ac multis dubiis, iisque haud exi-  
guis, inuolutum Tibi elegeris, in quo explicando  
pariter atque defendendo ingenii vires satis ten-  
tari possunt. Etsi vero rem grauissimam cona-  
tus sis, Tuam tamen intentionem non vitupe-  
randam sed probandam et laudandam existimo,

ideo

ideo imprimis, quod ex negotii grauitate p<sup>re</sup>-  
stantia virtutis cognosci soleat. Et quod ad  
ipsam rem attinet, in multis quidem Tuae sen-  
tentiae accedo, nonnulla vero ex meo arbitrio  
paulo aliter definire malim. Quicquid autem  
horum sit, Tuis tamen meditationibus vix ver-  
bulum apposui, vt occasio Tibi eo esset oppor-  
tunior, rem Tuam defendendi, ac virtutem qua-  
polles in disputando probandi. Ascende iam  
cathedram, ac rei Tuae defensor expectationi  
responde. Ego vero Tibi profectus litterarum,  
quos in Academia nostra fecisti, ex animo gra-  
tulor, optima quaeque industriae Tuae praemia  
apprecaturus, meique memoriam Tibi etiam  
absenti commendaturus. Vale. Dabam Lipsiae  
die VIII. Decembris A. C. N. MDCCLIII.



Leipzig, Diss., 1753

X 2373094





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSERTATIO IVRIDICA

D E

**DOMINO SERVIENTE  
AD P R A E D I I  
SERVENTIS REFECTIONEM OBLIGATO**

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

I N D V L T V

P R A E S I D E

**DNO. IOANNE TOBIA RICHTERO**

PHILOSOPH. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL.

ET COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

PRAECEPTORE OMNI PIETATIS CVLTV

SVMMOPERE DEVENERANDO

AD DIEM XIII. DECEMBER. A. C. N. MDCCLIII.

H. L. Q. G.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

A V C T O R

**ERNESTVS FRIEDERICVS HAVSSLEVTNER**

PLESSNA SILESIVS.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

